

Vbi Veneris erit dominium huius profectiois, ipsaq; foeliciter in genesi ceci-
derit, aut peruenerit ad Venereas configurationes, dignitatis, & honoris bonis pla-
cide fruuntur, mulierum beneficio, & opera, uel saltem mulierum negocijs dabunt
operam nati. Si quis tunc priuatus fuerit, mulierum, Venerisq; beneficio, ac opera, ho-
nores consequetur. Sed in locis infelicibus profectio hæc reperta à Venereis, dama-
na, malumq; denunciatur.

Mercurius si fuerit dominator profectiois Mediꝝ cœli, cumq; hæc profectio
foeliciter in genitura ceciderit, aut ad configurationes Mercuriales accesserit, tum in
honoribus, muneribusq; publicis gerendis gnauiter uersabuntur nati, unde laudem
& famam consequentur. Si quis tum priuatus fuerit, facile ingenij sui uiribus ad ho-
nores perueniet. Sed in felicibus in locis geneseos hæc profectio reperta, multa ex-
citabit maledicta, obreftationes, inuidiam, aduersitates fungentibus publicis mu-
neribus, quorum ferè omnium authores sint scribæ, mercatores, & Mercurialis con-
ditionis homines professione sua, damnis tamen citius quàm commodis afficientur.

Sed si Luna gubernationem susceperit huius profectiois, & ipsa foelicibus in
locis genituræ, aut Lunaribus configurationibus inuenta fuerit, tunc erunt in admi-
nistrationibus, ac professionibus uarij, ac instabiles, multas res publicas gerendas,
præsertim muliebres capeffent. Sed infortunata loca profectio si hæc tenuerit, multa
contraria obijcientur fungentibus muneribus publicis, in quibus administrandis mo-
lestias non uniusmodi sustinebunt, quarum causa manabit potissimum à populi &
uulgi temeritate.

CAPVT OCTAVVM.

De Arabum temporum gubernatoribus, seu
de Alfridarijs planetarum.

Alfridaria Solis.



Alfridaria Solis in genitura diurna uitam nati gubernans, insinuat quòd
ita genitus optimè nutrietur, nutritione quidein honorifica ac regali, &
multum boni habebunt parentes ipsius, excepto quod accident eis in
primo & secundo mense tristitiæ, & grauitates, attamen remouebitur
illud, & reuertetur ad lætitiã, & gaudium. Per noctem uerò significat,
quòd natus ita bonum habebit à regibus, ac nobilibus, habebit laudem & honorem
præ cæteris consanguineis suis, & opes, seu diuitiã, lætitiã, ac gaudia ipsius crescent.
Sed si Alfridaria Solis acciderit in eius senectute, quod accidere potest in sua senecti-
te in diurna genitura, postquam transuerit annos 75. significat quod lætabitur cum
socijs & filijs suis, habebit fortunam bonam, uitam completam, & quietam. Et si Sol
in radice natiuitatis fuerit in exaltatione sua, uel termino Iouis, uel finibus Veneris,
& habuerit in radice significationes fortunæ, significat quòd erit ueridicus, & legalis,
socijs suis fidelis, & honoratus, euadet à molestijs, ac rixis, crescet in sensu, modestia,
& intellectu, dabit alijs bona consilia, & homines in suis negocijs, ac causis petent ab
eo consilium, eius dicta audientur, & recipientur, habebit potentiam præcipiendi in
ciuitate sua, aut familia, ac multum boni faciet genti suæ, habebit fortunam, & lu-
crum, oblectabitur lapidibus preciosis, habebit munera regum ubicunq; fuerit, erit
honoratus, diligent eum primates, associabitur uiris nobilibus, habebit in terris do-
minium aliquod, plantabit arbores, aut copulabitur cõiugio liberali, filios habiturus,
uel habebunt has fortunas, & honorem nati parentes, aut bonum perueniet ipsi, &
parentibus. Et si Sol non fuerit fortunatus, debilitabitur significatio eius. Si uerò pla-
neta orientalis eum irradiauerit, lætam sortem nato præstabit.

Sol & Ve